

20 memorializ non tribuunt iurisdictionē ei, qui non habeat, dum iurisdictionē communicari solet per commissiones, ut in Signaturę rubrica aduertitur; Solumque de consuetudine, per hæc memorialia, seu rescripta, aliqua tribui solet maior facultas; Puta, quod Iudex ordinarius, vel delegatus non teneatur pro exequutione iudicari parere aliquibus inhibitionibus, quæ per debitores obtineri solent ad defatigādos creditores, ac impediendam exequutionem, cum similibus; Aut habilitari solent officiales, & administratores piorum locorum, ut facere valeant ea, quæ ex eorumdem locorum Statutis, vel stylis facere non possunt, Et generaliter in ijs, quæ respiciunt, potius accidentalia, quam substantialia iurisdictionis, & potestatis, pro negotiorum qualitate, ac stylis.

- 6 Quod antiquitus tanquam Canonista quoque exerceret munus Auditoris.
- 7 De eius loco, vel sessione in Cappella.
- 8 De iurisdictione, & officio circa impressionem librorum, ac probationem.
- 9 De alijs eius praeminentijs, & prærogatiis.
- 10 De Auditori doméstico Papæ, eiusque munere.
- 11 De eodem alibi remissione.
- 12 De Alijs Palati officialibus, & præsertim de Praefecto cubiculi.

## DISC. VIII.

**P**raefectus Palati Apostolici, est tanquam quidam Gubernator dicti Palati & rector, ac prouisor familiæ Papæ, isteque ab aliquo moderno tempore, honestiori vocabulo nuncupari coepit Maior domus, cum prius, retinendo antiquam simplicitatem, appellatur Magister domus, unde propterea lepidissimus *Boccalinus in parnassianis discursibus*, ingeniosè desuper ludit in persona eximie nobilitatis Cardinalis de Acquauiua, qui sub Gregorio XIV., istud obtinuit munus, à quo ad purpuram brevi euectus fuit.

Est pariter munus, potius priuatum, quam publicū seu potius aulicum, quam curiale seu forense, iuxta Curiæ Magistratum hierarchicum ordinem, qui apud scriptores habetur; Adhuc tamē de facto est, munus magna estimationis, ac de illis primi ordinis, vi potè pro frequenter contingentia, ex ultimis seu magis proximis gradibus ad purpuram; Unde propterea regulariter esse solet penes qualificatos, ac emeritos Prælatos, qui per alios gradus, etiam Nuntiaturarum aliorumque publicorum munerum transferint, Illeque in ordine Episcopali vel Archiepiscopali constitutus esse solet, adeòt si per Papam ad hoc officium assumatur simplex Prælatus, ista occasione cretur Episcopus titularis in partibus.

Aliquam tamen notabilem iurisdictionem habet, adeòt speciem Tribunalis considerabilis constitutat, habendo Auditorem, aliosque ministros, quoniam est (priuatuè ad omnes alios Curiæ indices, & Tribunalia) Iudex in omnibus causis

De alijs Palati Apostolici & Papæ officialibus, & ministris; Et præsertim de eiusdem Palati Praefecto; Et de Magistro; Et de Auditori Papæ, & alijs.

## SUMMARIUM

- 1 **D**e praefecto Palati Apostolici qui Maior domus dicitur.
- 2 **Q**ualest eius munus, & cui personarum generi conferatur.
- 3 **E**s est iudex omnium familiarium, & ministerorum Palati.
- 4 **E**st etiam Gubernator ciuitatis Tusculanae, & Arcis Gandulphi, & qualis sit eius iurisdiction.
- 5 **D**e Magistro eiusdem Palati, & de eius munere.

civilibus, criminalibus, & mixtis, non solum totius familiæ actualis Papæ, id est eorum, qui in Palatio viuunt, Papæ seruitio, in maioribus, minoribus, & insimis muneribus addicti, sed etiam omnium, qui in Urbe, vel extra, propriæ domi viviendo, mediatis, seu remotè, Papæ, seu Palatio Apostolico, eiusque villis, vel membris inseruit; Ut (ex. gr.) sunt prouisores carnium, tam ciuilium, quam silvestriū, ac piscium, & olerum, aliorumque victualium; Nec non sunt mercatores subministrantes ea, quæ necessaria sunt ad vestitum; Ac artifices, medici, chirurghi, barbitonores, & alii similes.

Est etiam Gubernator Tusculanæ Ciuitatis, & Arcis Gandulphi, tanquam locorum destinatorum seruitio Papæ, quādo rusticari velit, præsertim in consuetis temporibus, veris, & autumni; Ideoque in his locis particulares depurat gubernatores, & cancellarios, aliosque officiales, à quibus ad ipsum habentur recursus, vel interponuntur appellations; Non tamen præcisè, & ex necessitate, cum etiam ad Auditorem Cameræ, vel per viam commissionis in Rota, seu coram Prælatis appelletur, ideoque est Ordinarius in temporalibus primæ instantiæ, si-  
cūt est Episcopus in spiritualibus; Habet tamen aliquid plus, quam Episcopus in eo, quod à Vicario non appellatur ad Episcopum, cum sit idem & unum Tribunal, & tamen ab his localibus officiis, qui sunt eius Vicarij, ad ipsum appellatur, vel habentur recursus; Istaque causas vterioris instantiæ, quandoque (licet raro) cognoscere solet per se ipsum, & quandoque, particulariter alicui Prælato vel qualificato Curiali committere; frequentius autem per eius Gubernatorem eas cognoscit, & iudicat.

In eodem Palatio quoque residet, atque inter Papæ aulicos familiares, recentetur unus religiosus ordinis Sancti Dominici, S. Theologiæ eximus professor, cum socio pariter eisdem facultatis professore, qui speciem eius Vicarij, seu adiutoris in munere, præferre videtur, ultra cōuersos qui pro eorū seruitio sint neces-

sarij; Isteq; gerendo munus Theologi Papæ, siue fit tanquam Papæ, seu magis propriæ tanquam Episcopi Vrbis, nuncupatur: magister S. Palatij, in sua origine probabilitate assumptus ad effectum, vt in rebus, quæ ad fidem pertinent, in priuatis occurrentijs Papam informet, tanquam per speciem consultoris in his materijs; Eo modo quo, data proportione, tenet theologum plures Archiepiscopi, & Episcopi, ac etiā Cardinales, potissimum antiquioribus, temporibus, antequā sub Paulo III. erigeretur Congregatio Inquisitionis, vel Sancti officij, quæ hodie in ijs quæ pertinent ad Ecclesiastici vniuersalem, & Papam uti Papam, istas gerit partes, vt infra in eius rubrica. A

Istud autem officium dici meretur magis publicum & curiale, quam aulicum, in ordine hierarchico Curiæ, eiusque magistratum; Ideoque tam ratione antiquitatis, quam ratione dicti munieris, quod antè erectionem præfatae Congregationis exercebat, valde considerabilis erat eius auctoritas, illudque præsertim exercuit Sanctus Raimundus qui de mandato Gregorij IX. fuit compilator quinque librorum decretalium; Ac proprie non Theologiæ tantum, sed etiam 6 Iuris Canonici antiquitus eximus professor erat & per consequens etiā peritus in Iure Ciuali, dum vix dari potest bonus Canonista sine hac peritia, vt alibi adiutitur B; Vnde propterea commendabilis videbatur usus antiquus, quod aliqui religiosi, vt huic muneri se aptos redderent, non solum Theologiæ, sed Canonum studijs æquè principaliter vacarent, vt docent opera præsertim Cardinalis de Turcremata, qui fuit etiam huius ordinis Prædicatorum professor, pluresque antiqui primi ordinis Canonistæ, ac nostri Præceptores fuerunt monachi seu regulares, & tamen magis Canonistæ, quam Theologi; Ideoque nimium probabile est, quod idem Magister gereret eas partes, quas hodiè gerit domesticus Auditor Papæ, dum antiquum ceremoniale, seu praxis cappellæ pontificiæ, ante eius reformationem sub Ale-

xan-

A. infra disc. 14.  
B. in annot. ad S.C.T. disc. 32. & tit. de iuris dict. in supplemento & infra disc. 22. agendo de Iudicis idea occasione tribunalis Rota.

xandro VII. docet, quod reputabatur tanquam unus ex Rotæ Auditoribus; Immo omnium maior a dignior, præter Decanum, sub quo, supra alios, quamvis antiquiores, sedebat; A tempore vero dictæ reformationis sequitur sub præfato Alexandro septimo, per quā Rotæ Auditores subdiaconi creati fuerūt, cum prærogatiua rochetti, vnde propterea, ita decisa remansit antiqua lis præcedentia inter Auditores Rotæ & Clericos Cameræ, forsan ratione simetrici, vel hierarchici ordinis, & ne inter induitos habitu Clericorum secularium interfescerent induiti habitu regulari, iuxta ea quæ in materia præminentiarum ac alibi habentur, C nunc, sedet quidem cum Auditoribus Rotæ, sed post eorum ultimum.

Hodiernum autem munus huius Magistri, principaliter consistere videtur in revisione operum seu librorum in Urbe, ac districtu imprimendorum, cum impressio prohibita sit, sine prævia licentia Cardinalis Vicarij seu eius Vicegerenti, quæ concedi solet sub conditione revisionis, & approbationis huius Magistri, qui quandoque per se ipsum, vel per eius socium hanc revisionem facit, et quandoque, ac frequentius, in libris legalibus vel aliarum facultatum, quarum ipse, eiusque socij non sint professores, revisionem committit alicui probato professori, ad cuius relationem ipse licentia impartitur, vt docet praxis adeò frequēs librorū, qui in Urbe imprimuntur; Quin immo neq; ista licentia sufficit, sed postquam liber est impressus, desideratur altera eius licentia super publicatione, cuius occasione, per Impressorem tres ei traduntur eiusdem libri copiae impressæ, una scilicet pro seipso, altera pro socio, & altera pro dicto Vicegerente.

Retinet quoque facultatem, quam forte solus exercebat ante erectionem dictæ Congregationis Inquisitionis & alterius, quæ dicitur Indicis librorum prohibitorum, de qua etiam infra in sua sede D, revidendi scilicet (vbi velit) libros alibi impressos, qui in Urbe, eiusque districtu vendantur, seu legantur; Ac etiam con-

C. sub tit. de præminent. disc. 24.  
D infra disc. 19.

cedendi licentias personis non suspectis, legendi libros prohibitos, ad aliquem bonum finem, ideoque ex ista etiam causa, ante dictarum Congregationum erectionem, longe maiorem faciebat figurā; Atque in huius officialis praxi verificatur id quod alibi aduertitur E; quod scilicet dioecesis particularis Vrbis extendit ad centum milliaria, dum vltra hodiernum districtum breuiores 40. milliarium, intrâ dictum maiorem ambitum in præmissis suum officium exercet, aliaque habet prærogatiua.

Adhuc tamen in hierarchia regulari, est officium magnæ existimationis; Tum ob præmissam iurisdictionem, & ob annexum munus fixi Consultoris dictæ Congregationis seu Tribunalis inquisitionis; Tum etiam quia, cum ad præscriptum Apostolicarum Constitutionum, ad decorandum clerum regularem, congruat aliquos religiosos Cardinalium Collegio cooptare, iste reputari solet gradus validè proximus huic dignitati, vt praxis pluries probauit; Ac vltra præmissa, est etiam fixus, & continuus concionator Palatij seu familiæ Papæ in confuetis prædicationis temporibus, Aduentus scilicet, & Quadragesima.

Officium Auditoris domestici Papæ, 10 est de iure, potius aulicum, seu priuatū, quam publicum, vel curiale, dum apud antiquos Practicos, aliosque Doctores, mentionem facientes de officialibus Papæ, & Curiæ, de hoc ministro non agitur, quoniam in sensu aliquorum Auditor Papæ est Auditor Cameræ, licet probabilior videatur sensus aliorum quod Auditor Cameræ esset potius Auditor Camerarij vt in sua fede F; Istaque partes priuati Auditoris Papæ, antiquitus probabiliter implebat dictus Magister S. Palatij, vt supra.

Istius autem officialis munus, principaliter consistit in adiuuando Pontificem in studijs, quādo interueniat in Congregationibus, siue in alijs negotiis per se ipsū explicandis, in Cōsistorio vel in Aula, siue in Signatura gratia, eo modo quo faciunt omnes Auditores Cardinalium ac etiā Prælatorum; Atq; ab aliquo moderno tem-

E. supra disc. 2. & de præminent. disc. 1.  
F. infra disc. 34.

tempore, nostra ætate, illi iniuncta est cura se informandi de qualitatibus eorum, qui Papæ proponantur pro regimine Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum.

In forensibus autem, iuxta pariter modernam introductionem, eius munus **11** principaliter versari videtur in ijs, quæ concernunt recursum ad Signaturam Gratiae, ideoque de hoc agitur infra in dictæ Signaturæ rubrica particulari. G

Alij verò aulici officiales, ut sunt Praefectus cubiculi, Pincerna, Dapifer, Eleemosynarius & alij, nullæ habent iurisdictionem, ac propterea nullam figurā faciunt in ordine hierarchico Curiæ Romanæ; Benè verum quod primū præsertim munus Praefecti cubiculi, esse solet magna estimationis, & quandoque exerceri per seniorem, nimirumque qualificatum Prælatum, qui transierit per gradus, & munera, etiam majora, ideoque mereatur dici proximus purpuræ, ad quam ab hoc munere transitū fieri frequens praxis docet; Vt præsertim nuper ea docuit in Clemente X. qui alteri Clementi immediato prædecessori post plura etiam primaria munera laudabiliter exercita Episcopi Camericensis; Nuntij Neapolis; Nuntij Collegij Cardinaliū ad Principes Italiz; Et Secretarij Congregationis Episcoporū, & Regulariū, ad hoc munus assumptus, fuit successor immediatus; Ideoq; ad Curiam aulicam potius, quam ad forenses istorum, & aliorum officialium munera, pertinent.

---

G. dīsc. 30.



De Datario, ac alijs Datariæ officiis.

S V M M A R I V M.

- 1** **D**e agentibus de hac materia Datariæ, & de vocabulo Datarij.
- 2** Quale sit institutum Auctoris in universa hac relatione.
- 3** Quare expedit antiquum statum scriptari, & scire.
- 4** In quo consistat aequiuocum scriptorum de quibus num. 1.
- 5** In quo propriè consistat munus Datarij, & quod ipse non conficiat literas.
- 6** Quae sint negotia, quæ transeunt per Datariam.
- 7** Quæ negotia antiquitus per Papam explicabantur.
- 8** Et per quæ organa hodiè dicta antiqua negotia transeant.
- 9** Quæ concessiones fiebant per Pœnitentiariam, & hodiè sunt per Datariam.
- 10** Multa negotia quæ expediuntur per Datariam, sunt moderna,
- 11** De origine, & introductione reseruationum, & affectionum Apostolicarum in beneficijs.
- 12** Quod per reseruationes penè annihilata sit potestas Ordinariorum in collatione beneficiorum.
- 13** De quo tempore, & ubi caperint reseruationes Apostolicae beneficiorum.
- 14** De causa introductionis officij Datarij.
- 15** Gratia anterior præualet, ac attendi debet.
- 16** Quale item sit munus, vel officium Datarij.
- 17** De ethimologia vocabuli, vel nominis Datarij.
- 18** Quibus personis hoc datarij munus iniungatur, & præsertim Rotæ Auditoribus.
- 19** Cardinales non vocantur Datarij, sed Prodatarij.
- 20** De Subdatario, & Perobitum.
- 21** De munere Datarij in preparando negotia Papæ proponenda, & de signatura supplicationum.
- 22** De eodem Subdatario.
- 23** De data, quæ apponitur supplicationibus signatis.
- 24** De primo, & secundo reuatore alijsque offi-